

etiam possessione perquam locupletissimus. Qui vir Deo dilectus spretis mundi huius inlecebris secundum illud evangelicum praeceptum in caelo suum totum recondere volens thesaurum¹, in proprio solo construxit celebre monasterium, quod Gigniacus² est nominatum, et ex paterna et materna possessione non mediocriter reddidit locupletatum. Cernens vero secundum sui desiderii votum idem³ in omnibus obtime iam valere caenobium, omnibus suis, ut dictum est, ibidem delegatis, sanctę conversationis habitum sumpsit. Et in eodem loco Dei omnipotentis se servitio mancipavit atque postmodum iam in sancta religione perfectus electione cunctorum monachorum sive nobilium ipsius cęnobii regimen suscipere non recusavit, bonam hanc sui laboris consummationem existimans, si in utroque eiusdem loci, id est in materiali vel in spirituali fabrica⁴, dignus auctor vel operator existeret. Quod offitium tam prudenter tamque decenter exercuit, ut non solum iam dictum locum in omni sancta religione redderet perfectum, verum etiam illud monasterium de Balma⁵ antiquissimum a beato Columbano, ut ferunt, normę monachorum sacratum et tunc religione et temporali facultate iam pene desolatum in pristinum statum revocaret et regulari ordine decenter ordinaret. Studebant vero viri religiosi tunc temporis et potentes non vicini, verum etiam de remotissimis partibus eius fama permoti undecumque sibi monasteria committere, quia regularis ille ordo deterescens nec vestigium quidem reliquerat pene in tota Galliarum regione. Unde accidit, ut illa quoque duo precipua Aquitanicę regionis caenobia, Dolense⁶ videlicet et Masciacum⁷, petitione Wuilelmi incliti ducis accipiens in omni sancta instrueret disciplina et ut idoneus pastor prudenti conponeret vigilantia.

His et talibus vir devotus insistens studiis tamquam lucerna super candelabrum posita per universas regiones iam celebris habebatur et ab omnibus in summa veneratione merito colebatur, ita ut eius sanctitati inclitus ille dux, de quo supra diximus, se commendaret et admodum sibi non sine Dei omnipotentis instinctu, ut postmodum in sequentibus pandetur, familiaris existeret.

Cum enim pater Berno, ut diximus, tam piis operibus studium daret, ut secundum suum velle normam sanctae religionis ubiubi dilataret, contigit, ut idem dux divino, quod pie credimus, spiritu animatus quoddam non exigui momenti praedium sui iuris in Burgundia positum et in pago Maticensi⁸ situm, nomine Cluniacum, eidem viro venerabili committeret, quatinus ibidem Deo et sanctis apostolis Petro et Paulo do-

1) Cf. Matth. 6, 19. 2) Gigny. 3) 'tan' ausradiert, das urspr. dastand. 4) 'fabrica' hs. 5) Beaume. 6) Déols. 7) Massay. 8) Mâcon.